

Æ. D. O. M. S.

SISTE GRADUM VIATOR, ET LEGE.
HIC ORDO RERUM EST,
NASCIMUR, DENASCIMUR,
FLOREMUS, INTERIMUS,
UT FATUM TULIT,

NEC ÆVITERNUM EST, QVICQV D EXORTUM SEMEL.

QVA PRÆREPTUS LEGE, HIC SIBI VENDICAT QUIETEM,

ADAM CHRISTOPH JACOBI, JC^{tus}.
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ

IN SUPREMO APPELLATIONUM,
ITEM PROTO-SYNEDRII JUDICIO, CONSILIARIUS,
NEC NON
REIPUBLICÆ DRESDENSIS SYNDICUS,

IN QVO,
CANDOR CUM SAPIENTIA,
PIETAS, PROBITASQVE CUM ERUDITIONE,
FIDES INDUSTRIAQVE,
PARIA SEMPER FECERUNT,

AC HINC

PROPRIA VIRTUTE IN PRINCIPEM LOCUM, TOGATORUM ERECTUS,
SUOQVE PRINCIPI, COLLEGIIS, OMNIBUSQVE BONIS CHARUS.

NATUS GÜNDORFFII PROPE LIPSIAM d. 7. NOVEMBR. AO. M. DC. XXXVIII.

DUXIT IN UXOREM MARIAM GERTRUDAM,
GEORGI BÖRNERI, SYNDICI DRESDENSIS, FILIAM,

EX QVA
XV. LIBERORUM PARENS FACTUS,
VII. MASGULINI ET VIII. SEQUIORIS SEXUS,

QVAMVIS
EORUMIL, TURBATO MORTALITATIS ORDINE,
PATREM PRÆVENERUNT,
RELIQVIXIII. CUM MATRE, OPTIMI PARENTIS EX
HISCE TERRENIS OBITUM LUGENT,
PERPETUO MOERORI DAMNATI.

LIPSIÆ, CUM HYMENÆIS FILII NON DEGENERIS INTERESSET,

APOPLEXIA d. XIV. NOVEMBR. EXINCTUS,
POSTQVAM LI. ANNOS ET VII. DIES FECISSET VIVENS.

HEU!

QVAM PROPERO TURBINE VITAM HOMINIS VERSANT,
FATA RAPACIA,

QVAM CITO
QVÆ STETERANT, PRÆCIPITATA RUUNT.
INTERIM

MORTUO CHRISTO MORS VITA EST.

ABI JAM VIATOR
MORTALITATIS TUE ET ÆTERNITATIS MEMOR.

AGNATO ET AFFINI INCOMPARABILI AC
DE SE OPTIME MERITO

POSUIT,

J. U. M. D.

DRESDÆ, LITERIS JOHANNIS RJEDELII.

